



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1783**

**VD18 90119304**

§. 40. Innocenti XIII. solertia in urgenda Constitutionis Unigenitus  
observantia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

§. XL.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1721.

*Innocentii XIII. solertia in urgenda  
Constitutionis Unigenitus ob-  
servantia.*

Paucis ante obitum diebus Clemens  
XI. Papa ad plenam Gallicanæ Ec-  
clesiæ conciliationem nil opportunius  
fore censebat, nisi I. ut Noaillius Car-  
dinalis epistolam haud absimilem illi,  
quam Anno 1711. dederat, rursus ad  
Sanctitatem suam daret, & II. Fran-  
ciæ Rex Ludovici XIV. literas ad In-  
nocentium XII. circa V. Ecclesiæ Gal-  
licanæ articulos datas executioni dari  
juberet. De hoc Clementis XI. pro-  
posito Petrus Lafiteau Siftericensis Epi-  
scopus Innocentium XIII. Papam cer-  
tiores reddidit, eumque ad premenda  
Prædecessoris sui vestigia paratissimum  
expertus est: Cardinalis vero Rohanius,  
qui exeunte Mense Februario Parisiis  
Romam venerat, de prospero hujus  
consilii successu dubitare videbatur;  
noverat enim Noaillium non tam men-  
tis pravitate, quam privatæ in Clemen-  
tem aversionis vitio hucusque restitisse,  
proin eum omne consilium, quod præ-  
fatus Papa proposuisset, absdubio re-  
jecturum, magis igitur ad firmam pa-  
cem Ecclesiæ reddendam proficuum  
fore

Lafiteau 7  
Hist. Const.  
l. 5. p. 191.  
Vid. supra  
t. 70. p. 559.

Sæc. XVIII. fore censebat Rohanius, si Papa nihil  
 A. C. 1721. omnino contra Noaillium moliretur, do-  
 nec Rex e Curatorum tutela excessisset, postea autem neo-  
 electus Pontifex ad Noaillium literas admodum paternas atque officiosas daret, eisque quasdam Constitutionis explicationes infereret, plenamque præteritorum oblivionem polliceretur: quoniam Rohanius jamjam ejusmodi epistolæ typum cum ipsomet Noaillio & Abbate Conveto confecerat: Verum Cardinales, quorum consilium Pontifex hac in re expetebat, de ejusmodi explicationum proposito Eundem abducere, totis viribus adlaborabant, rati, hanc agendationem Sedis Apostolicæ auctoritatis summopere noxiam fore. Eapropter Pontifex epistolam quidem ad Noaillium, sparsam sale humanitatis & amoris testificatione insignem concepit, eique nullas omnino minas, aut explicationes inferuit, sed duntaxat significavit, se suam mentem Cardinali Rohanio manifestasse, ab eoque percepturum, quid agere ipsum oporteret, ut sacræ Sedi plene satisfactum esset. Re ipsa vero intendebat Pontifex, ut Noaillius Constitutione *pure & simpliciter* recepta, suas a nuperis duabus Apostolicis Constitutionibus interjectas appellationes irritas nullasque declararet suam-

suamque Instructionem Pastoralem re-  
 vocaret. Verum Rohanius suæ institit  
 sententiæ, spe fretus, Noailium hac  
 Pontificis epistola certo certius ad sa-  
 niora revocandum esse.

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1721.

§. XLI.

*Septem Gallicæ Episcoporum epistola  
 ad Innocentium XIII. Papam.*

Hæc dum Romæ agebantur, septem  
 Franciæ Episcopi sub specioso sum-  
 mo Pontifici gratulationis officium ex-  
 solvendi obtentu epistolam scripsere,  
 in qua tamen potius suam bilem contra  
 Clementem XI. ejusque Constitutionem  
 liberius evomendi occasionem arripui-  
 se videbantur. Erant autem horum  
 Præsulum nomina hæc: Franciscus  
 Maillebot de la Salle, olim Episcopus  
 Tornacensis, Joannes Baptista de Ver-  
 thamont Episcopus Apamiensis, Joan-  
 nes Soanen Senecensis Episcopus. Ca-  
 rolus Joachimus Colbert de Croissy  
 Episcopus Montpeffulanus, Petrus de  
 Langle Boloniensis, Carolus de Caylus  
 Episcopus Antissiodorensis, & Michael  
 Cassagnet de Filladet Episcopus Matis-  
 conensis. Hi ad SS. D. N. Innocen-  
 tium XIII. Papam occasione Constitu-  
 tionis *Unigenitus* Mense Junio perscri-  
 bunt, atque in suis literis amplissimis

*Index lib.*  
*Proh. p. 92.*  
*Lafiteau l. 6.*  
*pag. 201.*  
*Dorfan.*  
*Journal t. 2.*  
*pag. 100.*

*Hist. Eccles. Tom. LXXI. M pro*